



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Prologvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

P R O L O G V S.

VASTVM mare (Lector benigne) ac procello-
rum abyssum aggreditur, & ingreditur, quisquis
tempeltate hâc pelagus Privilegiorum Regula-
rium vadare conatur. Ita ne? Quis nisi ignarus
neget? Quot capita, tot sententiæ: Contrarias
dicam, an contradictorias? Vtrumque reperies. Quidam ex
amplissimis concessionibus, tum vetustis, tum recentioribus
adeò illa dilatant, ut eis ferè omnia licere, facilè præsumant.
Quidam adverso Marte, ex variis revocationibus adeò restrin-
gunt, ut maria magna Religionum in parvulum fontem con-
versa non renuant asserere.

Quid igitur? pedem retraham? forsan consules, caligi-
nem aspiciens: At mihi contrarium occurrit, cum caligo ipsa
veniam erranti offerat, si sincerè scopum veritatis tentem at-
tingere. Nec mens tendit in omnia, & singula, nec de Privile-
giis, etiam in particulari, sermonem texere. Cum præ mani-
bus sint de hac re doctissimorum Virorum illustria volumina.
Nec minus aliqua inaudita de meo adjicere. Primum enim
sicut molestum, & odiosum esset; sic & præsumptuosum se-
cundum.

Verùm quia ob temporum varietatem nil ita stabile, quin
pristinæ stabilitatis ipsa stabilitas careat; nihilque ita certum,
quin novissimis multoties occurrentibus difficultatibus mi-
nus certum appareat. Ergo cum in Romana Curia (supra
meritum licèt) Procuratoris Generalis sacre meæ Religionis
per septem annos munere functus fuerim, Diversitas nego-

(††)

tio-

tiorum , circa Privilegia Regularium , animum intentâ , obsequiosâque solitudine appulit ; ut quæ de Privilegiorum in communi potissimis fundamentis , tum ex gravioribus Authoribus , tum ex consortio , & famulatu doctissimorum Virorum in alma Vrbe existentium , non mediocri labore hauseram , in aliqualem meorum potissimè Alumnorum utilitatem , luci traderem ; quatenus Privilegiorum , potioribus fundamentis radicatis agnitis , ipsisque succinctè præ oculis appositis : amotâ ignorantia , errorisque occasione , tutiora pro usu possent observare . Opusculum finivi , sæpè frequentiora , non casu , sed consultò , in extensis voluminibus aliorum Doctorum videntia relinquo , selectiora explanare propono , & ea , sine quibus obstrusum maneret opus . Utinam , quod intendo , assequar . Conabor igitur magis stabilita palàm proferre . singula singulis adaptando , per disputationes , & sectiones , brevitate , cui nihil desit , nihil effluat ; claritate in nullo minori , quàm captui meo permiffa ; faxit Deus , ut votum impleam , & fructus labori respondeat .



INDEX